



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XI. De appellationibus & recusationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

P. C.
ANNO
CHRISTI
1145.
INNOCENTIVS LVGDVNENSE I. FRIDERICVS II. IMP.
S. LUDOVICVS REX FRANC. 435

maluerit, de iure suo debet apud eosdem iudices experiri, nisi ut eos suspectos poterat recusare simili poena, si contrafecerit, puniendus.

I X.

Eum qui super dignitate, personatu, vel beneficio ecclesiastico obtainendis, cum aliquo litigat possessore, ob partis aduersae contumaciam causa rei seruandae in ipsorum possessionem statuimus non mittendum, ne per hoc ad ea ingressus patere valeat vitiosus; sed liceat in hoc casu contumacis absentiam, diuina replente praesentia, etiam lite non contestata diligenter examinato negotio ipsum fine debito terminare.

X.

Statuimus ut positiones negatiuas quæ probari non possunt nisi per confessionem aduersarii, iudices admittere possint; si æquitate suadente viderint expedire.

X I.

Legitima suspicionis causa contra iudicē assignata, & arbitris a partibus (secundum formam iuris) electis, qui de ipsa cognoscant, sæpe contingit, quod ipsis in idem conuenire nolentibus, nec tertiu aduocantibus, cum quo ambo, vel alter ipsorum, procedant ad decisionem ipsius negotii, ut tenentur, iudex proferat excommunicationis sententiam contra eos, quam ipsi tum propter odiū, tum propter fauorem partium, diutius vilipendunt. Quare causa ipsa plus debito prorogata non proceditur ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur morbo huiusmodi necessariam adhibere me-

Concil. Tom. 28.

Iii ij

436 INNOCENTIVS CONCILIVM FRIDERICVS II. IMP.
P. IV. S. LUDOVICVS REX FRANC.

delam statuimus, vt ipfis arbitris per iudicem terminus competens præfigatur; infra quem in idem conueniant, vel tertium concorditer aduocent, cum quo ambo, vel alter ipsorum, eiusdem suspicionis negotium terminare procurent: alioquin iudex extunc in principali negotio procedere non omittat. XII.

Statuimus, vt nullus iudicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem canonicam, excommunicare maiori excommunicatione præsumat, saluis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in criminis præsumunt participare damnato. Quod si ex locutione, & aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat, poterit iudex post commonitionem canonicam huiusmodi participantes consimili damnare censura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes poenam legitimam poterunt formidare. XIII.

Cura nos pastoralis solicitat & hortatur, vt lapsis consulamus ecclesiis, & ne labantur in posterum prouideamus constitutione salubri. Cum igitur usurarum vorago multas ecclesias pene destruxerit, & nonnulli prælati circa solutionem debitorum, præsertim a suis prædecessoribus contractorum, negligentes inueniantur admodum & remissi, ac ad contrahenda maiora debita, & ob-